FELIX APPLAUSUS

Auſpicatiſſimis Connubii Solennibus
Eximii atqve Æſtimatiſſiimi
VIRI JUVENIS,
DOMINI
ALEXANDRI CHRISTIANI Pfauenkopffs/

Civis Thorunienſis Chirurgiæqve Practici
longè peritiſſimi,
cum
Lectiſſima ſuiqve ſexûs virtutibus Ornatiſſima
DOMINA
EVA Krügerin/

Viri qvondam Honoratiſſimi
DOMINI
GEORGII FRIDERICI HEIDTII,

&c.
Relicta vidua,
Pridie Idûs Novembreis Anni
M. DC. XCVII.
Lætè ac feſtivè agitatis
animô ſerenô
dicatus
ab
Amico Sponſæ cognato.

THORUNII
imprimebat JohannBalthaſar Breslerus *Gymn. Typog.*

NUbe pudicarum Viduarum Gloria præſtans,
Nube, ſat es luctum paſſa relicta gravem.
Non prior ille tuus dulcis felixqve maritus
Sarciet orbati damna moleſta thori.
Is fuerat felix, per eum felicior ipſa es,
Qvando ſibi fecit rem, Tibi liqvit eam.
Perdideras eqvidem talem, qvi Temet accerbis
Abſtulit ærumnis, per cita fata Virum.
Cujus ego crebrò non immemor, ambigo perpes,
Utrum Tu careas conjuge ſola Tuô.
Suſtinuit proprias ædes, peramavit amandam
Uxorem, nec amor ſub lare tectus erat.
Cum concors animi ſenſus patuiſſet ubivis,
Cumqve parem coleret ſemper uterqve fidem.
Qvid collaudo fidem, ſi non accederet unà
Mutuus & multô nomine clarus honor.
Qvem non ulla fugax annis abeuntibus ætas,
Aut etiam tempus deminuiſſet edax.
Si mors præproperô vix raro ſegnior aſtu
Haud diſturbâſſet protinus omne bonum.
Imò bonum, qvali, gaudens Affine benignô,
Ipſemet inprimis ſum ſpoliatus ego.
Nam qvoties vivi gratiſſima tecta ſubibam
Et ſimul illorum ſede retentus eram.
Aſſiduè comem licuit cognoſcere vultum
Fronteqve perpetuùm candidiore frui.
Colloqviis ſileo transmiſſum tempus amœnis,
Iucundos celo prætereoqve jocos.
Munificam dignè fas eſt extollere mentem
Laudibus & meritum condecorare ſuis.
Si qva fides verbis, qvæ planè fallere nolunt,
Ingenuè fateor, nec malè vera premo.
Heidtius extiterat non tantùm Affinis amicus,
Sed variam Fautor condere promptus opem.
Qvô nimium cupiente mihi, felicibus olim
Res incrementis enituêre meæ.
Vt tam lætari qvàm pergaudere daretur,
Cœleſti talem Numine dante Virum.
Cui præmaturè cœli ſuper aſtra locato
Mens mea mœſta qvidem ſed qvoqve grata vovet:
Aſpiciat tantum meritum juſtiſſimus ille
Arbiter & redhibens æqviter omne Deus.
Compleat æternis Fautorem in ſede piorum
Hâc indefeſſa pro bonitate bonis.

Tu

Tu verò contrà positô mœrore malignô
Nube, nec in vita, qvam trahis, orba mane.
Venit *Alexander*, juvenis speciosus, in ipso
Ætatis vegetæ flore, nec arte rudis.
Vis Te damnosis posthac exsolvere curis,
Vis etiam domui consuluisse tuæ.
Tunc cape, qvod lepidè Tibi nunc præbetur utrumqve,
Nec, qvod habere vales, dispeniisse sine.
Spes nova, spes etiam valdè exoptata resurgit,
Qvin sors par primæ nec fugitura redit.
Si reputo raras, qvêis hic excellit *Amator*,
Ingenii dotes, miror abunde datas.
Si memini terras, qvas est emensus eundo,
Prædico, qvos multos vidit in Orbe, locos.
Vt nil finitimas tangam memorémve molestus
Vicina nobis à regione plagas.
Germanos rerum dominos gentemqve triumphis
Pluribus insignem laudibus actus adit.
Ac ita Cæsarea multum versatus in urbe
Crescere Pæoniâ cœperat arte citò.
Qvaliter illa suum generosa Vienna cruentum
Solverit obsidium, narrat is ipse probè.
Excussis tandem, forti fundente Polonô,
Hostibus immani tetricitate feris.
Pannoniam petiit defensans castra medendo,
Si qvos ægrotos casus inegit atrox.
Est testis, junctis qvam Cæsar ceperat armis,
Buda, caput regni nobile Pannonici.
Illic quot laceros, qvot saucia membra gerentes
Viribus est jussus restituisse suis.
Exiit & qvivis in milite sæpe probatus
Eventu semper prosperiore labor.
Hinc mox emersit summorum summa virorum
Laus & ob hæc illi redditus omnis honor.
Vixerat egregiè Victoribus utilis illis
Seqve satis relevans sedulitate suâ.
Deînde, pererratis illius cardinis oris,
Cumqve suis visâ finibus Illyride.
Mens erat undoso revehi feliciter Istro
Atqve aliò cœptum vertere rursus iter.
Seu celebres spectes, qvos transit Mulda, Bohemos,
Seu Moravos mavis aure bibisse tuâ.
Non minus istorum veniens allabitur arvis,
Qvàm succedenti tempore visit eos.

Deniqve,

Deniqve, qvid referam Batavos in puppe vagantes,
Aut Amſterdamum, cujus hic hoſpes erat.
Qvid populos illos, qvos ſpumifer alluit Albis?
Qvid pariter cives clara Lubeca tuos?
Nusqvam non artis denſô firmatus ab uſu
Eximium ſpecimen præbuit ipſe ſuæ.
At nusqvam fixâ potuit ſtatione relinqvi,
Imò nec in patrio eſt hæc data Sparta ſolo.
En Tibi Prutenæ Sedes primaria Gentis
Chirurgum (breviter ſic ego laudo) *bonum*!
En Tibi *Sponſa* tuum *Sponſum* cœlôqve volente,
Qvi primi partes ſumet agetqve, *Virum*!
Huicce bonis avibus Tu jungere. Namqve fideli
Natales noſtros Teqve juvabit ope.
Poſcis adhæc à me votum? Nil pugno. Precabor
Ac ubicunqve qveo, gratificabor ego.
Vah mea chara ſoror, cordis connubia ductu
Confiunt, nutu ſtantqve vigentqve Dei.
Æmula materni ſpecies Tua corporis ingens
Et tuus eſt dignus divite ſorte pudor.
Qvæ vero talis ſors his, qvos copula junxit
Neutrius ſortis diſſoluënda vice?
Firma valetudo, res proſpera, commodus annus,
Sufficiens itidem grex tibi ſerve, cibus.
Incoctum amborum generoſo pectus honeſto,
Longa fides, vigilans cura, perennis amor.
Scita nec informis ſpecioſô corpore proles
Et ſuperi tandem gratia juncta poli.
Eſte diu ſalvi, ſtatus hic ſit veſter amœnus,
Sint circa veſtrum gaudia multa thorum.
Si cuperet veſtri ſimiles producere partûs
Et dare proclivis pignora blanda Deus.
Magna propinqvorum foret hæc largita venuſtas,
Pulcher amicitiæ luſus & amplus honor.
Ite recepturi, non qvod fors Iuno jugalis,
Verum qvod bonitas Numinis ipſa refert.
Ite, prehenſuri longô cum munere vitæ
Acceptas vobis, qvas dat Olympus, opes.
Ite, remanſuri, velut in re lautius aucta,
Sic ſimul in cultu ſplendidiore pares.
Et gaviſuri virtutes propter amatas
Immenſi immenſô ſemper amore Dei.